


Ordo Sphaerarum Mundi.



Hanc totius vniuersi distributionem ex D. Præceptoris mei
 sententia mihi perpendenti diligentius, præclarè simul, ac rectè
 Plinium sensisse intelligo, cum inquit, *Mundi, seu cœli, cuius circumfle-* Lib. 2. cap. 2.
xu teguntur cuncta, extera indagare, nec interesse hominum, nec capere huma-
na coniecturam mentis. Et subdit. Sacer est, immensus, totus in toto, imò verò
ipse totum, finitus & infinito similis, &c. Nam vbi D. Præceptorem me-
 um sequemur, nihil extra concauum orbis stellati, quod inquiramus.